

ERVEDITA ATQVE

LVCVLENTA DISPVATIO

CLARISSIMI DOCTISSIMIQVE IVRE

CONSULTI AC EQVITIS D. IOANNIS

Hieronymí Albani de Immunitate eccle-
siarum, ad IVLIVM III. Pontí-
ficem Maximum.

EIVSDEM VARIA AC DIVERSA
CONSILIA

ut ex opere liquebit.

Cum índice locupletissimo in calce operis adiecto.



Num. 49. cap. 7. num. 2.

11



Romæ excudebant Valerius & Aloysius Dorici fratres
Brixienfes Anno Domini.
M. D. LIII.



COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO REGVM



V M In conscribendis aduersus Apostolicae sedis hostes uoluminibus bonae uuentae meae partem impendissem, & qualescumque lucubrationes meas Paulus III. adeo hilari uultu semper excepisset, ut aliquam tantis laboribus & tam pijs affectibus deberi gratiam, ultro fateretur, ita ad perseverandum in eo eram proposito inflammatus, ut peccatum me grauius arbitrarer, nisi quaequid uitae mihi superfuisset, pro amplissima ista tua iam sede constanter impendissem. Verum ubi illum qui tam bene de me sentiebat decessisse nunciatum est, animus ita repente concidit, ut me tum studiorum meorum, tum & mei ipsius paeniteret. Verebar enim ne idem ille casus, qui tanti protectoris mei corpus contexerat, unam etiam laborum meorum memoriam penitus obruisset. Cum primum uero audiui, te ob excimias uirtutes, & singularem diuini atque humani iuris scientiam (id quod iamdiu nemini contigit) unum esse tam honesto amplissimorum patrum coetu, summo omnium consensu esse delectum, cui totius christianae religionis cura atque administratio crederetur, tantas mihi praecleara ista & diuino potius quam humano consilio directa electio uires animi alacritatemque suggessit, ut ad pristinos labores redire fuerit iucundissimum. Caepe enim statim sperare, te tanto duce atque auspice omnes me legum modos dissoluere, & iuris difficultates posse superare. Quamobrem non potui me continere, quin ut olim scriptis aditis pro pontificia dignitate pugnaui: ita nunc sacerdotum & ecclesiarum immunitatem, quae iam nimis impune uiolatur, iuris ac legum praesidio defenderem. Atque id feci, tum ne tam pie tamque honestae causae uidear defuisse: tum ut eo uenerabilior Pontificiae maiestatis amplitudo esse intelligatur, quo praecellentior ministrorum illius dignitas aperiretur. Adhuc huic disputationi pauca quaedam in iure responsa, quae omnia pio affectu tibi, qui de ijs potes optime iudicare, dicimus, multo libentius maiora exhibituri, si par uoto facultas contigisset. Meis certe scriptis nihil aut aptius aut optabilius putauisse contingere, quam ut abs te principe Iurisconsultissimo uel probentur, uel deleantur, si enim acerrimo isto tuo iudicio probabuntur, alia quae adhuc intra domesticos parietes delitescunt, in lucem prodire non timebunt. Sin, quod uereor, uel lima uel litura indigere uidebuntur, aut domi se continebunt, aut gradu cautiore procedent. Illud tamen opto, ut haec si nullam aliam ob causam, ob id unum saltem quod tibi sunt dicata defendere non graueris. Ita enim fiet, ut omnes intelligant, te legibus habere quam merentur gratiam: quarum ope ut ad summum dignitatis gradum es euasus, ita immensam istam tantarum rerum molem unus omnium mortalium facillime potes sustinere.

aduersus hostes apostolicae sedis

Io. Hieronymus Albanus

aduersus hostes apostolicae sedis

aduersus hostes apostolicae sedis

Io. Hieronymus Albanus

aduersus hostes apostolicae sedis

A D I V L I V M I I I . P O N T . M A X .

DISPUTATIO

DE IMMUNITATE ECCLESIAE.



SI quid est, in quo diuinam opem deceat implorare, in veritatis inuestigatione, cum Deus ipse veritas sit, id vel imprimis fieri oportere existimo. Itaq; vt inde ordiatur, vnde bona omnia oriuntur, & optatos exitus fortiantur, à Deo immortali principium esto disputationis nostræ: vt ea tandem & diuino afflante spiritu inuenta, & eodem fauente discussa neminem mortalium lædat, sed omnibus grata contingat. Te verò Pont. Max. post eum, cuius vices geris in terris, adesse ac fauere huic labori nostro æquissimum est. Vt enim Deum opt. max. in his colendis, qui apud ipsum sancti sunt, honorati, nemo iure dubitauerit: Ita ne nos quidem veremur, quin facillè tu quoq; intelligas, te ab iis maxime obseruari & coli, qui ministris tuis honorem iure debitum & ipsi libenter deferunt, & ab aliis deferri desiderant. Ego igitur, cum & diuino beneficio ita fuerim semper animatus, & honestis disciplinis ab incunte ætate, ita institutus, vt ecclesiam Dei ab omnibus defendendam atq; ornandam iudicarem, id pro viribus meis aduersus illius obtrectatores scribens iam pridem præstiti. Proximè verò, cum viderem eam ad tributa laicis principibus præstanda compelli, nec in tanta rei indignitate, mihi reluctante conscientia, diutius silendum existimarem, ac illam, vel (vt vulgò loquimur) positionem, & casum, in quo iuris periti prope omnes aduersus clericos sentiunt, impugandum, & defendendam cleri causam suscepì. Qua in re si fortè succumbam, non erit mirum à tot fortissimis athletis vnum fuisse superatum: sin autem (vt spero atq; confido) in ea re, quam illi ne dubiam quidem putarunt, rationum vi superior fuero, lætabor immunitatem ecclesie, quam vnice veneror, tum in hac re, quæ prope iam desperata putabatur, tum multò magis in aliis, in quibus minus impugnabatur, illæ sam atq; inuiolatam nostræ quoq; opera & labore sub pontificiæ maiestatis tuæ numine permanere. sed iam ad rem ipsam aggrediamur.

IO. HIERONYMI ALBANI EQVITIS ET IVRIS

VTRIVSQUE CONSVLTI

CONSILIA.

CONSILII PRIMI SVMMARIA.

- 1 An ex prohibitione alienationis cū causa, quæ uult bona perpetuò cōseruari in familia, fid. absolutum inter descendentes inducatur. & nu. xij.
- 2 Qualis uoluntas testatoris sit attendenda. & nu. vij.
- 3 Testator filijs instituit, & si aliqui eorum sine filijs decederent, alijs substituit supersubstituit, cum eorum filijs descendentijs in infinitum non intelligitur inter descendentes fid. absolutum induxisse.
- 4 Idem si testator subieciisset, quos omnes uulgariter & pupillariter & per fid. substituit.
- 5 Idem etiam si isti descendentes in conditione positi expresse essent grauati & nu. x.
- 6 Idem si subiunxerit prohibitionem cum causa quia uult bona perpetuo in descendentes masculos cōseruari. nu. ix.
- 6 In dubio onus ad eos refertur qui sunt honorati.
- 8 Prima substitutione deficiente, omnes alie dispositiones, quæ ea præsupposita fuerant dispositæ, corruunt.
Filij instituti in terminis huius consilij, non censentur grauati nisi decesserint sine filijs.
- 12 Testatores cōmuniter in pri. substitutio- nis cap. fid. condere solent.
- 14 Trebellianica in filijs primi gradus quod prohiberi nõ possit, & est cō. op.
- 15 Casus priuilegiatus nõ comprehenditur in dispositione generali in ea materia loquente.
- 16 Prohibitio alienationis concepta per uerba in personam prohibiti directe non comprehendit alienationem legis, secus per uerba in rem directa.
- 17 Dicitio, tunc, cuius sit nature.
- 18 Quando quis est prohibitus alienare per uerba in personam, cum causa quia uult bona in familia remanere, si bona prohibiti fuerint cōfiscata, remanent penes illos de familia sed reuocabiliter.
- 19 Differentia est inter alienationem hominis & alienationem legis, licet factio hominis esset causata.
- 20 Prohibitus alienare per uerba in personam bonis eius cōfiscatis, si fuerit à principe restitutus, cōsequitur omnia iura sua etiam penes tertium existentia occasione cōfiscationis.
Quod uerum est etiam si in gratia fuerit expresse dictum sine præiudicio. & nu. xxij.
- 21 Princeps quando alicui aliquid cōcedit, quod in sua potestate erat non cōcedere, censetur sibi reseruare facultatem adimendi.